



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. VI. Admonet Religiosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

contendite. Et ego vos fidelissimos seruos meos, honoribus eternis exaltabo.

C A P. VI.

Admonet Religiosos..

CHARISSIMI filij, quos è saeculimari magno ad statum Religionis misericorditer vocaui , habeo aduersum vos multa lachrymis digna, quæ attente cogitare, & corrigere debetis. Ego plantavi vos in paradiſo meo, ut perfecta renuntiatione omniū rerum, & abnegatione propriæ voluntatis, & iudicij, sequeremini me renibus accinctis, & quasi lactucas agrestes manducantes , in transitu huius vitæ, confitentes quia peregrini estis super terram , & ad patriam Cælestem festinatis. Segregaui vobis dilectis meis, humanas consolationes respuentibus pluuiam voluntariam internæ visitationis. Sic enim ego solari consueui ablactatos à lacte, & auulſos ab uberibus. Suscitaui vobis patres Religionū fundatores, qui fidelissimo corde fecerunt omnes voluntates meas: & altera.

manu

manu præliantes , altera ædificantes,
circumdederunt altis mænibus mon-
tem sanctum , quem dilexi . Quomodo
ergo præuaricati estis pactum meum,
votis solennibus in medio Ierusalem
confirmatum , & primam charitatem
non seruasti ? Congregatio Iustorum ,
& pars electa Ecclesiæ meæ , quomodo
gemens conuersa es retrosum ? Quo-
modo emarcuit flos primitiæ obser-
uantiaæ , quo nomen meum laudari so-
lebat , à solis ortu usque ad occasum ?
Iam non est cultus ille obedientiæ per
fidem operantis . Illa paupertas , fo-
latia Cæli per incommoditates terræ
requiriens , ablata est . Aemulatio il-
la sanctorum , contemptus mundi ,
sensuum mortificatio , & decor mo-
naстicæ disciplinæ , à filia Sion egræ-
sus est . Frustra videntur laborasse Pa-
tres vestri , quorum statum assumpsi-
stis , & fidem non obseruatis . Quis
non miretur ruinam vestram , ô plebs
mea , quam è multis nationibus ele-
gi ? Quis audiuit talia horribilia , quæ
fecit nimis Virgo Israel ? Nunquid
euelli possunt aquæ erumpentes fri-
gidæ

gidæ & defluentes, vt vbi ego dedi fōtem vberem misericordiæ , siccetur terra ? Vx statui Religionis declinantis à rigore obseruantiæ : quia cum his nouissimis temporibus homines seippos amantes, quando professionem emitunt, promittant eadem, quæ sancti Religionis institutores promiserunt, remissè viaunt, nec eadem obseruant. Rarò valdè Religiosus perfectus quasi stella matutina in medio nebulæ splédescens, inuenitur. Reliqui verò, innumerabiles sicut arena, quæ iacet in littore maris, errauerunt in inuio, & non in via. Et facta est terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum. Omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, & mouebit caput suum. Elegiram ego gentem, vt habitarem in medio eius, & diligenter illam, sicut animam meam , sed ipsa recessit à me, factaque est habitatio draconum , & dimisi filios eius secūdum desideria cordis eorum , vt contra suorum Patrum instituta irent in adiuventionibus suis. Nunc ergo filij mei , ne declinetis cor vestrum in verba malitiæ ad excusandas ex-

das excusationes in peccatis. Sed memores estote, vnde ceciderit corona gloriae vestrae ; & respuentes omnia consilia hominum insipientium inobseruantiam excusantium , antiquam laudem totis viribus renouate. Germinet denuò terra vestra herbam virentem , & lignum pomiferum iuxta genus suum. Ego mittam spiritum meum, ut recreemini , & facies terrae renouetur. Confortamini, & couertam captiuitatem vestram affluentem gratia mea, sicut affluere solet aqua torrentis in Austro. Mittam lampades in visceribus vestris, ut fortissime impedimenta superetis. Quid timetis, filij charissimi, quasi abbreviata sit manus mea ? Ego dabo vobis os , & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri. Ego vos iterum parturiam, donec reformatur primus status in vobis. Et post ædificium nouæ Ierusalem, reddam vobis fidelissimis seruis meis multiplices coronas , inæstimabilibus gaudiis, & honoribus plenas,

C A P.